



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

43. Hostilivs refert, in bello Germanico multorum altarium sigilla seu sepulchra esse fracta, vel etiam amota absque alia iniuria, quæ idcirco reconciliatione non indigent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

mors non immineat, nec spatio dimidiæ horæ integra Confessio fieri possit, debere Confessarium excitare Hermogenem ad perfectam contritionem eliciendam, & indicatâ obligatione Confessionis integræ alio tempore faciendæ eundem quoque ad S. Eucharistiam sumendam admittere: Ratio prioris est, quia sic occurritur omnibus incommodis, nam subuenitur infirmo per Confessionem & absolutionem, pottrigitur Eucharistia, & vitatur scandalum. Ratio posterioris est, quia ex vna parte esset scandalum, si æger non comunicaret: ex altera verò est minùs inconueniens communicare absque Confessione, quàm cum ea præproperè facta.

*Ad rationem in contrarium dicimus, Hermogenem pro his circumstantiis sufficienter per contritionem elicitam esse dispositum, vt absolutè non dicatur indignus, & cum irreuerentiâ ad S. Eucharistiam accedere, perinde ferè, ut ille, qui proximè altare recordatur peccati mortalis, nec recedere absque nota famæ potest, ex communi Authorum non censetur indignus aut cum irreuerentia S. Eucharistiam sumere, si contritionem prius eliciat, & Confessionem proximè faciendam proponat.*

XLIII. *Hostilius refert, superioribus germanici belli annis in pluribus altaribus Sigillum, seu Sepulchrum fractum, vel etiam amotum fuisse, etsi*  
nulla

*nulla de cætero iniuria vel ipsis altaribus vel tem-  
plis inferretur. Queritur. Vtrum prædicta al-  
taria post solam illam fractionem aut amotionem  
sepulchri reconciliari debeant, antequam Sacra in  
ipsis denuò peragantur?*

Videtur reconciliari debere: Ira Canoni-  
stæ, Durand. Angel. Syluest. Henriquez, Gar-  
cias, Emauel Sa, *V. Altare. n. 1.* & alij. Pro-  
batur tum ex *Cap. 1. de Consecratione Ecclesie.*  
Tum quia Sigillum istud videtur de essentia  
& forma altaris.

Resp. Propter solam fractionem aut amo-  
tionem Sigilli altaria non esse necessariò re-  
concilianda. Ita Sotus in *4. Dist. 13 q. 2.* Sua-  
rez, Vasquez, Coninck, Lugo de *Euch. D. 20 n.*  
*75.* Dicastillo *Tom. 1. de Sacram. Tr. 5. D. 4 n.*  
*146.* & alij plures. Quia Sigillum illud non  
est de necessitate altaris: nec in eo forma hu-  
ius consistit; cùm ex recepta iam consuetu-  
dine altaria consecrentur absque vlla depen-  
dentia à reliquijs, ob multitudinem fortè al-  
tarium, & paucitatē exploratarum reliquia-  
rum. In *Cap. cit.* non dicitur, altaris conse-  
crationem amitti, si Sigillum frangatur, sed  
si lapis siue mensa consecrata frangatur, in  
qua Sigillum seu receptaculum reliquiarum  
continetur. *Atque ex his patet ad argumenta  
in contrarium.*

*XLIV. Indus Mercator Catholicus Amstelo-  
damum ciuitatem hereticam delatus comedit ibi*

*cum*